



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

reducta ad actum omnis potentia obedientialis, quæ in anima Christi invenitur in ordine ad cognitionem quæ potest haberi extra verbum: Sed entia supernaturalia creata possunt extra verbum quidditative cognosci, & consequenter anima Christi ad huiusmodi cognitionem potentiam obedientialem habet: Ergo illa entia fuerunt ab anima Christi cognita per scientiam supernaturalem infusam. Major patet ex dictis supra art. 1. Minor verò, in qua est difficultas, sic ostenditur. Quæ per propriam speciem in seipsis quidditative representari possunt, mediantè illa in seipsis possunt quidditative cognosci: Sed entia supernaturalia creata possunt per propriam speciem in seipsis quidditative representari: Ergo & extra verbum quidditative cognosci. Major est certa: nam omnis species representativa objecti potest esse principium cognitionis illius: Sed species immediatè representans entia supernaturalia creata, hequit esse principium cognitionis illorum in verbo, nam visio beatifica, quæ ad res creatas terminatur in verbo, soli divinæ essentia ut unitæ per modum speciei immediatè Deum representantis, & illo mediantè creaturas, inniti potest: Ergo quæ per propriam speciem in seipsis quidditative representari possunt, possunt in seipsis extra verbum quidditative cognosci.

Minor verò multipliciter suadet: Primò quia entia supernaturalia creata sunt finita & limitata entitatis: Ergo & finita representabilitatis, & consequenter representabilia per speciem limitatam & finitam.

Secundò, quia talia entia sunt limitata quidditatis, possunt per cognitionem finitam attingi quidditative, ut patet in visione beatifica; quæ licet finita sit, illa tamen quidditative cognoscit: Ergo ob eandem rationem possunt quidditative per speciem creatam representari.

Tertio, Si entia supernaturalia creata non possent per speciem creatam quidditative representari, maxime quia terminantur ad Deum ut est in se. Sed hæc ratio nulla est: Ergo per speciem creatam quidditative representari possunt. Major est præcipuum Adversariorum fundamentum. Minor verò sic ostenditur. Ut aliquid respiciens aliquem terminum representetur quidditative, non est necessarium quòd terminus inspectus quidditative representetur, ordo enim dependentiæ creaturarum à Deo quidditative representatur, terminò istius ordinis, scilicet Deo, non representatò quidditative: Ergo quòd prædicta entia Deum respiciant ut terminum vel objectum, non impedit quin per speciem creatam quidditative represententur, Deo ab illis inspecto, quidditative non representatò.

Dico secundò: Probabilius est, entia supernaturalia creata, ut gratiam, fidem, charitatem, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturaliter comprehendi.

47. Probatur breviter: Omnia ista entia possunt cognosci in seipsis & extra verbum cognitione comprehensiva, subindeque per scientiam infusam: cognitio enim rerum in verbo non ad scientiam infusam, sed ad visionem beatificam spectat: At supposito quòd illa entia per scientiam infusam comprehensive sunt cognoscibilia, non est cur talis cognitio anime Christi, & scientiæ illi infusæ denegetur: Ergo &c. Minor patet, nulla enim perfectio possibilis deneganda est humanitati Christi, nisi aut finis demp-

onis repugnet, aut cum visione beatifica sit impossibilis, quorum neutrum contrarietur test cognitioni comprehensive entium creaturarum supernaturalium per scientiam infusam supernaturalem. Major verò suadet: Omnia entia finita & limitata perfectionis potest per cognitionem finitam & limitatam comprehendere: Sed entia supernaturalia creata, ut gratia, fides, charitas, visio beatifica, sunt finita & limitata entitatis & perfectionis: Ergo possunt per cognitionem finitam & limitatam comprehendere: Sed scientiam infusam supernaturalem comprehendere. Minor patet. Major probatur. Quòd entia finita & limitata cognoscibilia sunt: quia cognoscibilitas passiva consequitur entitatem & coherensuratur cum illa: Sed quòd est finita cognoscibilitas, per lumen & cognitionem finitam comprehendere potest: vis enim cognoscitiva finita cognoscibilitatem objecti limitatè adæquare potest: Ergo quòd est finita & limitata entitatis & perfectionis, per lumen cognitionem comprehendere potest.

Respondet Suarez, quòd quamvis entia supernaturalia creata sint finita & limitata entitatis & perfectionis, quia tamen Deum in ratione termini vel objecti immediatè respiciunt, non possunt per scientiam infusam anime Christi cognosci quantum cognoscibilia sunt: quia perfectius cognoscitur terminus, vel objectum actus, vel habitus, eo ipse actus vel habitus cognoscitur perfectiori modo: Sed Deus, quicquid terminus, vel objectum immediatè entium supernaturalium, perfectius per visionem beatam cognoscitur, quam per scientiam supernaturalem infusam: Ergo ipsa entia supernaturalia creata perfectius per visionem beatam, quam per scientiam infusam cognoscuntur, indeque per huiusmodi scientiam non cognoscuntur quantum cognoscibilia sunt.

Verum si hic discursus Suariz, qui est præcipuum ejus fundamentum, aliquid probet, contra nec per ipsam visionem beatificam possunt entia supernaturalia creata comprehendere, sed tantum per cognitionem divinam; nam solum per ipsam cognoscitur unde quaque perfectè Deus, qui est terminus, vel objectum immediatè illorum entium: Sed hoc absurdum est, cum eundem sit omnia entia creata, tam naturalia, quam supernaturalia, à Christi anima per scientiam beatam, seu visionem beatificam comprehendere: Ergo hic discursus Suariz non valet, ut magis ex solutione argumentorum patebit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò contra prædictam conclusionem: Gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio beatifica, & unio hypostatica, sunt entia, seu dona supernaturalia creata: Sed illa per scientiam supernaturalem infusam quidditative cognosci nequeunt: Ergo Christus per scientiam infusam supernaturalem non cognovit quidditative omnia entia, seu dona supernaturalia, quæ de facto sunt producta. Major patet. Minor verò probatur quantum ad singulas partes. In primis quòd gratia habitualis non possit ab anima Christi per scientiam infusam quidditative cognosci, sic ostenditur. Gratia habitualis non potest quidditative cognosci, non cognoscitur etiam quidditative divinæ essentia: Atqui divina essentia non potest quidditative cognosci.

per scientiam infusam, sed solum per visionem A
beatificam: Ergo nec gratia habitualis. Minor
est certa, Major verò suadetur. Gratia habitua-
lis est formalis participatio divinæ naturæ, jux-
ta illud 2. Petri 1. *Per quem maxima & pretiosa*
nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ
conspicere naturæ. Sed participatio formalis alicu-
jus rei non potest quidditative cognosci non
cognita etiam quidditative re, cujus est parti-
cipatio formalis: ex eo enim quod aliqua res sit
participatio alterius, sicut habet quod non possit
separari quoad esse ab illa, ita etiam habet
quod non possit cognosci sine illa; nam sicut res
se habet ad esse, ita ad cognosci. Ex eo verò, B
quod sit formalis participatio, sicut habet for-
maliter convenire cum re illa quoad esse, ita &
quoad modum cognitionis.

Quod etiam lumen gloriæ non possit quiddi-
tative cognosci per scientiam infusam, sed so-
lum per visionem beatificam, manifestum vide-
tur: Nam lumen gloriæ excedit quodlibet ali-
ud lumen creatum, & est ordinis superioris ad
illud: Ergo per nullum lumen ab ipso distinctū
potest quidditative cognosci: At cognitio lumi-
nis gloriæ habita ex vi ejusdem luminis est ipsa
visio beatifica, & cognitio illius in verbo; non
in se, & extra verbum; quidquid enim medio
luminis gloriæ cognoscitur, non cognoscitur
immediate in seipso, sed in divina essentia ut
objecto prius cognito: Ergo lumen gloriæ non
potest quidditative cognosci extra verbum per
scientiam infusam, sed solum in verbo per sci-
entiam beatam, seu visionem beatificam.

De visione beata idem probatur: Visio beati-
fica non potest cognosci quidditative, nisi Deus
ut est in se quidditative cognoscatur: Sed solum
per visionem beatificam non verò per scientiam
infusam potest cognosci Deus ut est in se quiddi-
tative: Ergo solum per seipsam potest visio beati-
fica quidditative cognosci. Minor est certa,
Major verò sic ostenditur. Nulla relatio potest
quidditative cognosci, nisi pariter ejus termi-
nus quidditative cognoscatur: At visio beata
importat relationem transcendentalem ad De-
um ut est in se, cum Deus ut in se est, sit illius ob-
jectum: Ergo visio beatifica non potest cognosci
quidditative, nisi Deus ut est in se quidditative
cognoscatur.

Denique quod unio hypostatica per scienti-
am infusam animæ Christi quidditative cogno-
sci nequeat, breviter suadetur. Unio humanita-
tis ad Verbum pertinet ad ordinem hypostati-
cum, superiorem ordini gratiæ, ad quem spectat
scientia supernaturalis infusa: Sed cognitio ad
inferiorem ordinem spectans nequit esse quid-
ditativa rei pertinentis ad ordinem superiorem:
Ergo unio hypostatica per scientiam superna-
turalem infusam animæ Christi quidditative co-
gnosci nequit. Major patet, Minor probatur.
Scientia naturalis quidditative cognoscere ne-
quit gratiam habitualement, quia est inferioris or-
dinis ad illam: Ergo per cognitionem ordinis
inferioris non potest entitas ordinis superioris
quidditative cognosci.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio.
Non minus distat ordo hypostaticus ab ordine
gratiæ, quam ordo gratiæ ab ordine naturæ:
Sed quæ pertinent ad ordinem gratiæ nequeunt
quidditative cognosci per actum ordinis natu-
ralis: Ergo quæ spectant ad ordinem hypo-
staticum, non possunt cognosci quidditati-
ve.

Tom. IV.

ve per cognitionem ordinis supernaturalis. 55.
Respondet concessa Majori, negando Mino-
rem, quantum ad singulas partes. Ad probatio-
nem primæ partis, quæ est de gratia habituali,
nego Majorem, ad cujus probationem dicen-
dum, quod ut cognoscatur, gratiam habitualement
participare formaliter divinam naturam, suffi-
cit cognosci evidenter quoad an est ipsam divi-
nam naturam, maxime quia convenientia for-
malis in esse, quod habet gratia cum divina na-
tura, non est univoca, sed tantum analogica. Po-
testque hæc solutio explicari & illustrari, ex-
emplò intellectus creati, qui est formalis parti-
cipatio intellectus divini, & tamen non est ne-
cessè, quod Angelus, qui naturaliter illum quid-
ditative, imò comprehensive cognoscit, quiddi-
tative cognoscat intellectum divinum.

Ad probationem secundæ partis, quæ est de 56.
lumine gloriæ, dicendum est, quod licet lumen
gloriæ quodlibet aliud lumen creatum in im-
materialitate excedat, & sit superioris ordinis ad il-
lud, nihilominus potest per lumen creatum or-
dinis supernaturalis, subindeque per scientiam
supernaturalem infusam animæ Christi quiddi-
tative cognosci; quia ad cognitionem quiddita-
tivam non requiritur convenientia specifica in-
ter objectum & principium cognoscitivum; ut
constat in ipso lumine gloriæ, quod est princi-
pium cognitionis Dei quidditative, & tamen
cum Deo non convenit specificè, imò nec gene-
ricè. Et in sententia ipsius Bannez, cujus est hoc
argumentum. Angelus inferior non solum quid-
ditative, sed etiam comprehensive cognoscit
superiorem, & tamen ille specificè excedit in
gradu immaterialitatis Angelum inferiorem.
Quamvis ergo lumen beatificum specie exce-
dat in immaterialitate scientiam supernatura-
lem infusam, poterit virtute illius cognosci
quidditative.

Ad probationem tertiæ partis, quæ est de vi- 57.
sione beatifica, nego Majorem, ut enim visio be-
atifica quidditative cognoscatur, sufficit cogno-
scere divinam essentiam quoad an est, falsum e-
nim est ad cognoscendum quidditative aliquam
relationem, debere cognosci quidditative illius
terminum; alius Angelus non posset naturaliter
cognoscere relationem transcendentalem de-
pendentiam creaturæ ad Deum, cum non possit
naturaliter cognoscere Deum quidditative.
Quod diximus de cognitione quidditativa, de
cognitione comprehensiva pariter asserendum
est, nimirum ad comprehensivam cognitionem
actus dicentis habitudinem ad aliquem termi-
num, secundum quod est in seipso, non requiri
quod comprehensive talis terminus cognosca-
tur secundum quod est in seipso, sed sufficere
quod cognoscatur illud secundum quod est in
seipso talem actum terminare: unde licet visio
beatifica dicat intrinsecam habitudinem ad De-
um ut est in se, & Christus nec per scientiam in-
ditam, nec per scientiam beatam Deum com-
prehendat, nihilominus per utramque scientiam
visionem beatificam comprehendit, quia co-
gnoscit Deum secundum quod est in seipso esse
terminum talis visionis. Ex quo solvet argu-
mentum, quod contra secundam conclusionem
fieri posset.

Ad probationem denique quartæ partis, quæ 58.
est de unione hypostatica, concessa Majori, ne-
go Minorem, & ad illius probationem, distin-
guo causalem Antecedentis: Scientia naturalis
quiddi-

Gggg

quidditative cognoscere nequit gratiam habitalem, quia est inferioris ordinis ad illam, inferioritate genericâ, concedo Antecedens: inferioritate specificâ, nego Antecedens, & distinguo Consequens eadem distinctione.

Ad confirmationem, nego Majorem, distantia enim ordinis gratiæ à natura est generica, distantia verò unionis hypostaticæ à gratia est tantum specifica, conveniunt enim genericè in ratione ordinis supernaturalis. Vel distinguo Majorem. Non minus distat ordo hypostaticus ab ordine gratiæ, quam ordo gratiæ ad ordine naturæ, distantia entitativa, transeat Majori. Distantia habitudinis, nego Majorem, & concessâ Minorî, nego Consequentiam. Deus enim prout in se, superioris ordinis est ad lumen beatificum, & plusquam ab illo distat distantia entitativa, quam gratia à natura, & quam Angelus à potentia viliva; & tamen potest Deus quidditative cognosci mediante lumine gloriæ, & gratia non potest cognosci quidditative per principia naturalia, nec Angelus à potentia viliva videri: quia licet Deus plus distet à lumine gloriæ in genere entis, quam gratia à natura, & quam Angelus à potentia viliva, non tamen tantum distat distantia habitudinis; Deus enim continetur intra objectum nostri intellectus & luminis gloriæ, sed non gratia intra objectum naturæ, nec Angelus intra objectum potentie vilivæ. Id ipsum & a fortiori est dicendum in præsentî, nempe quod licet ordo hypostaticus plus distet entitativè ab ordine gratiæ, quam iste ab ordine naturæ, non tamen ita distat distantia habitudinis, continetur enim intra objectum ordinis gratiæ; unde sicut hæc ratione potest cadere sub merito congruo actuum procedentium à gratia, & per actum fidei credi, ita potest per actum scientiæ infusæ quidditative cognosci.

60. Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Ad comprehensionem requiritur quod principium cognoscitivum sit ejusdem perfectionis, ejusdemque immaterialitatis cum objecto comprehenso: unde quia Angelus superior excedit in perfectione & immaterialitate intellectum Angeli inferioris, non potest ab ipso comprehendi, ut in Tract. de Angelis contra Bannem & Salmanticenses docuimus: Sed scientia supernaturalis infusæ non adæquat in perfectione & in immaterialitate plura entia supernaturalia, præsertim lumen gloriæ, & visionem beatificam, ut de se patet: Ergo anima Christi per hanc scientiam non potuit comprehendere plura entia supernaturalia.

61. Respondeo, distinguendo Majorem, illamque concedendo de principio radicali illius intellectus per quam aliquod objectum comprehenditur, negando verò illam de principio proximo ejusdem intellectus: nam ad comprehensionem non est necessarium, quod principium proximum illius sit ejusdem perfectionis, ejusdemque immaterialitatis cum objecto comprehenso, sed sit est quod principium radicale intelligendi adæquet specificè immaterialitatem objecti, alias nullus Angelus comprehenderet seipsum, cum nullius Angeli intellectus ejus substantiam in perfectione adæquet. Quia ergo in Angelo inferiori comparato ad superiorem non solum intellectus, qui est principium proximum intellectus, sed etiam natura, quæ est principium radicale, est inferioris immaterialitatis specificæ ad substantiam Angeli superioris, con-

sequens sit quod illam non comprehendat, in nostro autem casu, licet scientia supernaturalis infusæ, quæ est principium proximum intelligendi, non adæquet luminis gloriæ perfectionem, gratia tamen quæ est principium radicale lumen gloriæ & visionem beatificam superat, quia in ordine supernaturali natura, à qua lumen gloriæ ut proprietas dimanât, & natura quæcumque ordine suæ excedit proprietatem, de cognitio scientiæ infusæ animæ Christi, & luminis gloriæ & visionis beatificæ comprehensione. Ita egregie & acutè Cipullus hic ar. 1. dub. 2. ad 1. objectionem. Duplicit tamen rationem assignat ad ostendendum non requiri comprehensionem quod principium proximum illius sit ejusdem perfectionis, ejusdemque immaterialitatis cum objecto comprehenso, ut enim illam peti ex eo quod principium proximum intelligendi est instrumentum substantiæ intelligentis, instrumentum autem non petit cum effectu adæquari. Non placet, inquam, hæc ratio, quia falsum est quod principium proximum intelligendi instrumentaliter ad intellectum concurrat, ut communiter docent Thomistæ in Tract. de visione beatifica. Vera ergo & legitima ratio est illa, quam tradit Illustrissimus Episcopus Oxoniensis in manuscriptis de scientia Christi: quia nimirum ex principio radicali, & ex potentia, ac virtute potentie conflatur adæquata causa intellectus, non ut ex causis partialibus, sed ut ex partibus causæ: non est autem necessarium quod effectus partem causæ non excedat, sed solum quod non superet adæquatam sui causam, ac proinde ut intellectus sit alicujus objecti comprehensio, non requiritur quod potentia, quæ est pars causæ, adæquet entitatem objecti, sed sit est, quod causa adæquata ratione principii radicalis, vel proximi, ut æqualis perfectionis cum illo.

Obijcies tertio: Christi anima per scientiam inditam non comprehendit potentiam obedientialem tam activam, quam passivam, quæ est de facto in creaturis: Sed talis potentia, cum actum, seu formam ordinis supernaturalis respiciat, pertinet ad ordinem supernaturalem: Ergo anima Christi per scientiam inditam omniens supernaturalis ordinis non comprehendit. Major probatur: Ad comprehensionem potentie obedientialis, tam activæ, quam passivæ, requiritur cognitio omnium formarum, quas potest recipere, & omnium effectuum, ad quos instrumentaliter concurrere potest, subindeque termini adæquati divinæ omnipotentie: Sed anima Christi per scientiam supernaturalem infusam terminum adæquatam divinæ omnipotentie non comprehendit, alias divina omnipotentia esset ab ipsa comprehensibilis: Ergo anima Christi per scientiam inditam potentiam obedientialem quæ est in creaturis non comprehendit.

Respondeo negando Majorem, & ad illam probationem, nego pariter Majorem: sicut enim ut intellectus Angeli superioris comprehendit intellectum Angeli sibi inferioris, non est necessarium quod cognoscat omnes actus quos secundum se & absolute potest producere circa infinita objecta possibilia specie diversâ, quia nimirum secundum se & absolute, præscindendo à speciebus, non est causa adæquata talis cognitionis, ita similiter cum potentia obedientialis non sit, præscindendo à divina omnipotentia, causa adæquata omnium effectuum supernaturalium, ad

comprehensionem illius non est necesse cognoscere, sicut in particulari, omnes illos effectus.

ARTICULUS VI.

Utrum anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, cogitationes cordium occultas, & futura contingentia cognoverit?

Primo ar. 2. citati pro sententia quæ negat Christi animam per scientiam supernaturalem infusam cognovisse singularia & existentia, id enim potiori jure tenentur asserere de actibus liberis, & de futuris contingentibus. Lorca etiam hic disp. 90. nu. 12, ut probabiliorē sequitur sententiam, quæ cognitionem cogitationum cordium & futurorum contingentium denegat scientiæ infusæ animæ Christi. Sententia tamen affirmans Christum illa per talem scientiam extra verbum cognoscere, communis est apud Theologos, eamque tam domestici, quam extranei cum S. Doctore hic art. 1. unanimi consensu docent. Unde sic

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Ico igitur: Anima Christi per scientiam infusam supernaturalem occultas cordium cogitationes, & futura contingentia cognovit.

Utraque pars hujus conclusionis colligitur expressè ex doctrina D. Thomæ hic art. 1. ubi docet Christum per scientiam infusam cognovisse omnia quæ per revelationem hominibus innotescunt. Sed homines per revelationem cogitationes cordium & futura contingentia cognoscunt, multa enim ex his sunt manifestata Prophetis: Ergo cognoscuntur ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam. Afferit etiam S. Doctor eodem art. Christum cognovisse per scientiam infusam omnia, præter Dei essentiam: Ergo sentit cogitationes cordium, & futura contingentia comprehendendi sub objecto talis scientiæ, & per eam à Christo cognosci. Unde ut notat Cajetanus hic ar. 1. circa solutionem ad 3. S. Doctor hic retractat quæ docuerat qu. 20. de verit. art. 6, ubi asserit animam Christi in verbo tantum futura contingentia & cogitationes cordium cognovisse. Licet Bergomensis in tabula aurea dub. 127. ipsum explicare conetur dicendo, ibi solum negare animæ Christi cognitionem speculativam prædictorum objectorum, non verò cognitionem prædictam. Vel loqui de Christo prout est singularis persona, non verò de illo, ut est caput Ecclesiæ, & supremus omnium iudex.

Potest etiam conclusio ratione suaderi: Nam scientia indita ponitur in anima Christi propter ejus perfectionem, ut nimirum per eam reducat omnem potentialitas illius, tam obedientialis, quam naturalis: Sed in anima Christi est potentia obedientialis ad cognoscendum per scientiam infusam cogitationes cordium & futura contingentia: Ergo de facto illa per talem scientiam cognovit. Major patet ex dictis art. 1. Minor probatur. Potentia obedientialis respicit id omne, quod non implicat contradictionem: Sed nulla potest assignari implicancia contradictionis in eo quod cogitationes cordium & futura contingentia supernaturaliter & per lumen à Deo infusum cognoscantur: Ergo est in a-

Tom. IV.

Anima Christi potentia obedientialis ad ea cognoscenda per scientiam inditam. Major est evidens, Minor probatur primò. Deus cogitationes cordium, & futura contingentia in seipsis cognoscit: Sed nulla est ratio, cur hæc perfectio divinæ cognitionis nequeat supernaturaliter creaturæ communicari: Ergo est possibilis creaturæ cognitio secretarum cogitationum hominis, & futurorum contingentium in seipsis.

Secundò, Cogitationes cordis, & futura contingentia ex suppositione decreti liberi Dei de illorum existentia in tempore habent in se veritatem determinatam: Ergo possunt per speciem à Deo infusam representari, subindeque ab intellectu creato supernaturaliter cognosci. Unde multis Sanctis per divinam revelationem innotuerunt cogitationes cordium, & futura contingentia, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quasi diceret, ea quæ speciebus è rebus acceptis cognoscere non valemus, qualia sunt dona gratiæ & gloriæ, nobis Deus revelavit per Spiritum suum: qui autem revelat majora, potest utique & minora hominibus revelare, quæ sensibus non subijciuntur, ut cogitationes liberas, & affectiones cordium, ac futura contingentia.

Addo, quod etsi nulli Sanctorum hæc notitia supernaturaliter data esset, debuit tamen Christo concedi, quia ipse est Rex universorum, & Dominus omnium, futurusque est aliquando iudex cordium: unde congruentissimum fuit, ut etiam quatenus viator ea claresceret in seipsis, æquè ac cætera naturalia objecta contueretur, quæ in cordibus volvuntur; ut re ipsa ab ipso factum, constat ex varijs Scripturæ testimonijs: dicitur enim Matth. 9. Cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Et cap. 12. Jesus autem sciens cogitationes eorum. Item Joan. 2. 1. cum Christus interrogasset Petrum, his verbis: Simon Joannis amas me? Respondit Petrus, & dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Quæ verba Theodoretus serm. de charitate sic exponit: Is autem ipsum citavit ad suum in eum amorem testificandum, Domine enim inquit tu scis quia amo te. In animis enim hominum infides, & aperte scis motus cogitationis; nec te aliquid latet ex rebus humanis: nosti enim omnia & antiqua & extrema.

Decuit etiam ob unionem humanitatis ad Verbum, & supremum Christi in quæcunque aliquando existentia dominium, ut futurorum quoque notitia ei communicaretur. Unde Cyrillus lib. de S. Trinit. cap. 22. Quamquam Dominus naturam ignorantem assumpsit, divinas tamen ei prerogativas & dotes impertivit; habebatque anima Domini omnem sapientiam divinam juxta & humanam, omnem notitiam eorum quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt, non naturæ, non gratiæ, sed propter unionem personalem cum eo, qui solus est sapiens, & omnia etiam prius quam oriuntur, ante sæcula novit.

Accedebat quoque titulus magisterij Christi tantum prout viatori comperens, ratione ejus debebatur ei futurorum notitia, ut hoc etiam modo tanquam divino suffragio doctrinam suam muniret, & certissimum divinitatis suæ argumentum praberet, nihil enim à deo divinitatis suffragium prodit, quàm divinatio, seu prænotio futurorum. Unde Iertullianus in A-

Gggg 2 polgo.